

**Sudoris anglici exitialis, pestiferique morbi ratio, praeservatio et cura /
[Joannes Nidepontanus].**

Contributors

Nidepontanus, Joannes, active 1529.
Fries, Lorenz, approximately 1490-1531.

Publication/Creation

[Strassburg] : [J. Knoblouch], [1529]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/px37h266>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



G.X.C
16

4542/B


77



65-~~F~~.21

39227

Page 1271"





S V D O R I S A N =
glici exitialis, pesti
feriq; morbi ra=
tio, præserua=
tio, & cura,
Ioāne Ni
depon
tano,
&
Lauren
tio Frisio,
inclytæ ciuitatis
Meteñ . Medicis
auctoribus, præcipiti
calamo conscripta.



ARGENTORAT. in ædibus Io. Knoblouchi
iunioris, Anno Christi. 1529.

J. Sr. n. 8.

REVERENDISSIMO IN CHRI-
sto Patri ac Domino, Dño Guilelmo Episcopo Argen-
torateñ. Alsatiæ Lantgrauio, Ioannes Nideponta
nus, & Laurentius Frisius Medici inclytæ ciui-
tatis Metensis, sese humiliter cōmendat.

¶ Accēpimus nuper literas tuas, reuerendiss. Pater, quibus exhortabaris, ut collato ocio, de atroci, immaniq; morbo, qui iamiam Manliano quasi imperio (sub uulgato Sudoris Anglici nomine) inferioris Germaniæ ciuitates, oppida, & pagos miserrime trucidauit, innume-
ramq; plebem sua uiolentia pernecauit, aliquid differeremus: uidelicet, quisnam esset is morbus, & unde exurgeret, quibus etiam pellen-
dus remedij: ne sana afficeret corpora, affectaç; derelinqueret. Cupi-
entes igit̄ reuerendissimæ Paternitati tuæ, ob præclarissimas tuas uir-
tutes, ualidissimas animi dotes, clementiam atq; humanitatem (qui-
bus nos & tractare & suscipere solitus) obtemperare atq; morem ge-
rere, id quod iniunxisti, pro uirili nostra aggredimur: ne (quod pro-
cul absit) tua uideamur aspernere mandata. Fatemur tamen, negoci-
um illud eruditius postulare ingenium, q̄ de caliginosa crassacq; possi-
mus polliceri Minerua: præsertim, cum nobis constet, tuam R. P. per-
docto atq; spectatae eruditionis uiro, tum philosopho, tum medico,
communitam, quem etiam lucubrationum nostrarum censorem ro-
gamus, atq; iudicem constituimus. Hunc enim primum a R. P. tua
de hac re interrogatum minime ambigimus. cum nulli certius fiden-
dum, q̄ huic, cui corporis tui cura cōmissa, & qui assidua meditatio-
ne faciem tuam contemplatur. Quanta autem R. P. tua prudentia sit
prædita, facile contuēdum: cum seuos conaris auertere iētus, priusq;
intoxicata iacula feriant, potissima artis medicæ ope, quæ (ut Aristoteles de regimine Principum docet) sanitatem studet conseruare con-
filio, quod futurorum oculus esse perhibetur. Et hac de cauſa homi-
ni a natura tributum, ut se, uitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea
quæ nocitura uideantur. Quod licet multis uideatur incongruum:
cum in hisce loetalibus malis, diuinum existiment, ob uitæ nostræ de-
lictæ, grassari fuorem. Quorum opinionibus amice respondēbimus,
ubi his quæ narrabimus pias aures accommodabunt. Accipe igitur
Præsul reuerendissime, hæc quæ tibi ex antiquorum traditionibus, ex-
perientiacq; nostra, aduersus furiosum hostem paratus armis, qui-
bus Deo opt. max. fauente, Lemniam manū, Palladio accinctus cly-
peo, facile in fugam conuertes: neq; tibi solum, uerum etiam mal-

as prædicaberis profuisse, cum in publicum ibunt quæ in hoc
Libello congregimus. Sumus tamen præscij, calumniato-
rum conuitia minime posse effugere: quorum tela,
minus mollissima purpura abhorremus, cum
tua simus auctoritate fulciti. Vale ex
Diuoduro, Sole. 29. Libræ gradum
permeante. Anno 1529.

Quid sit ægritudo hæc, & quod nomen
mereatur. C A P. I.



V A M Q V A M satis notū sit, quod
nomē perniciosus is morbus mereat,
plusq; ad sophistas pertineat, ut Gale Galenus.
nus inquit prædictiōm. iij. cōmento
xv. q̄ ad medicos de nominib. disceptare, uulgi tam-
en ut soluatur. contētio, quod hunc miraculum existi-
mat, ut Plinius refert lib. vij. cap. liij. cum mortes agat Plinius.
repentinas, raroq; antea uifas, paucis placuit adnota-
re quo uocādus sit nomine heluo ille, antropophagus
omniū uoracissimus. Pestilentia nomē eius est: quod
ex Pestilentiæ diffinitione patet circumquaq;. Inquit
enim Hali abbas libro theoreticæ dispositionis regalis Hali.
quinto, capite undecimo,

Pestilentia est morbus multiplex, & subitus, uno
tempore multis hominibus cōmunis. Hac diffinitiōe
clare constat, hunc nil aliud, nisi Pestilentiā fore. cum
non solum is, qui apostemata, bubonesq; sub ascellis,
inguinibus, alijsq; locis solet excitare, eisdem uitiatos,

A ij

D E S V D O R E

quiartam prope diem plerumq; interimere, Pestilen-
tia sit uocitandus, uerum quidē omnis qui se se subi-
to multis hominibus ingerit. Quod etiam probat
Constantinus, Cōstantinus in Pantegni cap. ix. cum infinitas pene
enumerat ægritudines pestiferas, ex aëris putredine
prouenientes, inter quas Sudoris etiam meminit ali-
eni, insoliti, atq; nimium excessiui: qui hisce diebus,
Anglicus Sudor, nomen sortitus est. Quod lucidi-
us constabit, si ea quæ de caussis dicemus, diligentem
oculo perspexeris.

Aristoteles.

C De caussis huius morbi. C A P. II.
V M Q V E, Philosopho testante de rerum
effectibus, nihil apte sit pronunciandum, si
caussæ eorundem ignorentur, necessum erit, anteq;
quicq; aduersus hunc morbum tentemus, caussas e-
ius exactissime perquiramus. Quod ut magis redda-
tur perspicuum, animaduertendū, caussam apud me-
dicos (Auicenna príncipe. ij. fen primi canonis dicen-
te) id esse, quod primo est, & ex quo prouenit inuen-
tio alicuius dispositiōis in corpore humano, & eius
fixio. Quæ uerba si sane interpretamur, trinam hu-
ius mali caussā nobis insinuant. Primitiū uidelicet,
antecedentē, & coniunctam. Primitiūam huius exiti
alis morbi caussam astra inferunt, quæ eorum moti-
bus, locationibus, radiationibusq; diuersis, aérem a
naturali qualitate immutarunt: nec solum in putre-
dinem, quæ tamen magnam illius stupendæ cladi-
tim obtinet, uerum etiam innoxiam, atque humano-

generi hostilem substantiam, peruerterunt. Quod si quido constat, si stellarum cursus oculis contemplamur apertis. Sole enim arietem intrante, Luna magna orbis domina, cum Sole domino signi magnæ profectionis, in sexta cœli parte, mobilicꝝ signo locata, morbos minatur igneos, acutissimos, atqꝝ præcipites. Lœtales autem, propter Saturnū, magnæ coniunctionis anni. M. D. xxiiij. dominum, qui sua malicia anno nostro, octauum cœli domicilium, mortis indicatiuum, occupauit. Quid illa portendat, ex Ptolemy Prolemeus mei Quadripartito, Albumazarocꝝ agnoscendū est: Albumazarū sententias adducere nimis prolixū foret: cū zor. modo non astrologos, sed medicos agamus. Nolumus etiam nauseam parere male oculatis quibusdā Medicis, qui Astrologiæ suffragia omnino damnat, Astrologia atqꝝ execrantur: cum tamen sine ea uix possit perfictere medicus. ut Hippoc. noster fatetur lib. de aere Hippoc. & aqua, cum inquit. Astronomia non est minima pars medicinæ. & Galenus. iij. libro de diebus creti Galenus. eis cap. vij. Medici astronomiam ignorantēs, corruptores uocandi sunt. Rasis. iij. parte continentis. Sci= Rasis at medicus astrorum scientiam. Omnesque antiqui eisdem potiuntur sententijs: quibus & docti moderni assentiunt. Anthonius Guainerius celeberrimus Guaineris. medicinæ scriptor, tractat. de Peste. differentia prima. cap. iij. inquit. Volens futuram prædicere Pestē, aut præsentem agnoscere, necesse est, ut planetarum, stellarumqꝝ uires, & regionum proprietates agnoscat.

D E S V D O R E

Sauanaro. Eandem profert sententiam Sauanarola. Gentilis itē
la. Gētilis super prima quarti. tract. iiiij. Auiceñæ. Et quod ma
Scotus. gis obfirmat. Scotus ille theologorum subtilis magi
ster lib. ij. dist. xiiij. quest. iij. Medicum astrorum sci
entia expertem quasi inutilem refutat. Sed ne diuti
us ab instituto disgregiamur, propter eos, qui non
Aesopum apte contriuere, incongruas temporū qua
litates, ex Astrorum scientia caussatas, prēcipuam hu
ius mali caussam, indubitanter assignamus. cū uisum
cunctis fuerit, q̄ pluuiosa, crassa, nimbosa, atq; incō
Aristoteles. stans æstatis extiterit aura. Quam consyderans Ari
stot. problematū prima sectione. xxi. ænigmate, An
nus, inquit, erit pestilens, cum sol multum uaporis
de terra excitat, & reuersus in pluuiam uertit, quare
terram madescere necessarium. Fit igitur, ut quasi lo
cis palustribus, grauibusq; proinde habitetur, & cor
pora multis redundant excrementis, unde ægrotan
di materiam consequuntur. Quam caussam etiā A
uicenna noster assignat quarto libro de Peste. Et re
liquum, ac potissimum putrescentis aeris indicium,
Hippoc. ut H I P P O C R A T E S tertio libro epi
demiarum docet, Austrini uentus, tota æstate cli
ma nostrum suis flatibus occupauere. Secunda aut
em caussa, quam medici antecedentem uocant, inor
dinata est ratio uiictus, nil nisi crapulā atq; ebrietatē
Socrates. persuadens. Nemo est, qui cum Socrate sentiat, qui
comedebat ut uiueret: nos uero qui alterum nō co
limus Deum præter Ventrem, ut comedamus, biba.

A N G L I C O.

musq; natos existimamus, dies noctesq; ingluuiiei ac
commodamus. Nemo est qui sanus esse contendat;
ad properant patri & iuuenes, claudicantes senes ab
esse nolunt, accedunt Sacrificuli una cum militibus,
Principes cum rusticis, ac tenerum quod peplo ue-
latur genus, crapulæ castra accelerat: ut nec mirum,
si nec inguinis, nec capitis, ut Iuuenalis Satyra septi-
ma, discrimina sciat. Nemo est, cui placeat sobrietas.
Eo igitur euenit, ut rara, uix quoque antea uisa ori-
ant pericula, naturæ etiā uires indies atq; indies ma-
gis debilitentur: ex quo in corporibus nostris crudi,
incoctiq; humores, nutritiæ uirtuti inutiles, relin-
quantur: qui ultra modum aceruati, putredini po-
stea maxime efficiuntur obnoxij. ut Galenus de dif- Galenus.
ferentijs Febrium attestatur. Et hac de caussa, crude-
lius arripuit hęc clades inferioris Germaniæ quam
aliarum nationum incolas. Nam apud illos maxi-
mo datur honori quotidiana ebrietas, & qui maio-
ra nouit pocula euacuare, is primatū præ ceteris de-
fert. Tertia caussa quæ a medicis coniuncta appel-
lat, est aer putridus p cannæ gutturis attractus, mi-
xtus primū cū spiritibus, q̄s & primū corrūpit: de-
mū uero sua putredine atq; qualitate uenenosa, hu-
mores cordis destruit. ut Gētilis loco supius allega- Gentilis.
to ppulchre enarrat. Cor em cōtinua indiget euētati
one, ideoq; necessū, ut aérem p cannæ pulmonis at-
trahat: qui si mundus, ac clarus extiterit, tales etiā spi-
ritus generabit: sin putridus, toxicus ac malus, consi-

D E S I V D O R A E

miles etiam spiritus producit. Sed quis uera, quæ de
morbis cauiss protulimus, paucos tamen nobis credi-
turos præscimus: cum plerumq; & docti & indocti,
tanta sint superstitione concitati, ut hunc morbum di-
uina ultione, propter scelera nostra, ab alto ad terram
dimissum arbitrentur. Quod tamē, si recte credimus,
longe erroneū est: cum Dominus benignus sit ingra-
Lucas. tis & malis, Lucæ. vi. sinatq; solem suum exoriri super
Matthæus. malos ac bonos, pluuiā super iustos & iniustos, Mat-
thæi. v. ac uocet ad se cunctos, dicens, Venite ad me o-
mnes qui laboratis & onerati estis, ego uos refocilla-
bo. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.
At illi nobis obijcent acerrimas ueteris Testamenti
uindictas, quibus Dominus populum fame, gladio,
& mortalitate puniuit. Quæ tamen allegoria sunt per-
petui cruciatus illis, qui Verbo de supernis incarnato,
reluctari prætedunt. Ad nos autē qui credimus Chri-
sto, licet peccatores simus, nequaq; pertingit hæc um-
bra: cum pro lege gratiā acceperimus, Christusq; non
propter iustos, sed peccatores, e coelo descenderit, ut
eos Patri reconciliaret. Necq; existimādum, quin sectæ
inter se digladiantes, obstinatos nisi quos habeant, a
Christo nos separent: cum utracq;, & Papistica, & Lu-
therana, ut uernaculis uerbis utamur, finaliter in Chri-
stum tendat, uerum quidem unā magis altera necesse
est aberrare: quod nemini certius q; ipsi Deo dñjudicā-
Ieremias. dum, qui Ieremia prophetante, & testis, & iudex esse
Galenus. prohibet. Concludimus igitur cum Galeno lib. prædi-

A N G L I C O.

Etoni pri. Hippo. cōmento. viij. Deū glorioſum nunq̄
affligere morbis, uerū quidem, ut idem auctor lib. de
liquidis motibus, nobis omni tempore præſentem, ut
diuinus etiam canit uates Pontanus, cum inquit.

Quid uexare Deos fruſtra iuuat: ordine certo Pontanus.
Fert natura uices, labuntur & ordine certo
Sydera, tamen uarios rerum parientia casus.
Illa ſuos peragunt cursus, feruantq̄ tenorem
Sorte datum, parent illis clementa, fidemq̄
Imperiū mutare timent: ſic omnis ab alto
Natura est, ſequitur leges quas ſcripſerit æther.
Ipſe Deus lēto ſpectat mortalia uultu.

¶ Cur pefis illa citius cognita interimat, & cur bu-
bones ſiue apostemata non exoriantur in ea.

C A P.

III.

Rarus, inconsuetusq̄ huius morbi euētus effi-
cit, ut uarij uaria de ipſo ſentiāt, longeq̄ aliter
q̄ nos interpretent, & licet auctoritatibus ra-
tiōibusq̄ ſatis probauerimus, pauci tamē Pestilentia
effe credent: neceſſum igitur, ſi fidem conſequi uolu-
mus, ut oēs quæ de eo uoluūtur cōmentationes perſol-
uamus. Primū quidem, cur nam in. xxiiij. horis, aut
citius interimat, quod tamen cognita, atq̄ ſæpius uifa
Pefis non ſoleat: Paucis reſpondebimus: id ex corru-
pti aēris ſubſtantia crassa, ſiue ſpiſſa prouenire: quæ re-
tent circa cor a naturali calore, neq̄ resolui, neq̄ etiā
expelli potest, ſed ſua groſſicie meatus obſtruēdo, ſta-
tim extinguit atq̄ ſuffocat uitales ſpūs cordis. Et hæc
eft ſententia Ioannis Eschnidis anglici in ſua ſumma, Eschnid.

B

D E S V D O R E

distinctione, viij. cap. i. quā ex Galeno de differentijs
Galenus. feb. ij. ca. v. decerp̄sit. Quod tamē Galenus clarius ex=
plicat lib. ij. de crisi cap. ix. cum inquit. Gens plurima
subito morit sine crisi, id est, perfecta, in primis morbi
inuasionibus, cum apostema magnū in mēbro nobili
persistit, aut in corpore materia crassa, quæ subito ad
interiora corporis fundit, meatusq; opilat. Cur autē
bubones & apostemata nō appareant sub alis, alijsq;
membris, quemadmodū in exteris solet fieri Pestilen=
tijs, Galenus soluit. ij. de differentijs feb. cap. xi. ubi di=
cit, ex pulsoriam uirtutem, ob humorū crassitudinem,
ac uiarum angustiā imbecillem reddi, nihilq; posse ef=
fluere: nisi quod in subtilem uaporem, hoc est, Sudor=
rem, uersum est: quē & in hoc morbo maxime uide=
mus exuberare: unde etiā Anglicus Sudor nomē sibi
uendicauit. Cur uero pueros, senesq; raro, aut nunq;
coerceatis morbus, facile soluendū erit. Puerorū hu=
miditas assiduae augmentationi est accōmodata: po=
Cōciliator. ros etiam habent rāros, a matricis calido, ut Concilia=
tor ifert differētia, xxvij. cū subtilitate cutis suscep̄tos:
per quos maior fit euētatio, atq; putridi aeris per os at
tracti expulsio: calor quoq; eorū suauior, miūscq; igne=
us, q; adolescentū, iuuēnū, & consistentiū. Senes aut̄,
cum ad siccitatē sint proclives, cauosq; ac latos habeāt
poros, per quos, Galeno proximo allegato loco testā=
te, frequēs euaporatio fit, haud facile putredini locum
admittūt. Sunt præterea adhuc multa, quæ nobis obij=
ci possent, uidelicet, Cur uno die plus altero grassetur

is morbus: cur paucis item diebus in uno loco se de-
tineat? Quæ cum responsu facilia sint, breuitatis cau-
sa pertranseamus. Cæterum ut Zaylorū aculeos auer-
tamus, qui aut liuore, aut inscitia narrationes nostras
refutabūt, dicturi, hoc morbi genus nunq; a nobis an-
tea uisum, perperamq; auctorū sententias in usum no-
strum retorsisse. Quorum uirus, ut cassetur, nolumus
quemq; latere, id malum etiam a nobis antea uisum.
Cum em̄ ego Frisius apud inuictiss. Heluetios in Fri-
burgo, anno post sesquimillesimum. xix. medicum a-
gerem, oriri coepit hominum mortalitas, quosdam fe-
bre ab extra leni cum frigore, capitis grauedine, sopo-
re ineuitabili, Sudore totum corpus penetrante, arri-
piens, nullo apostemate, aut tumore ab extra perce-
pto, in uiginti quatuor horis interfecit: & qui euase-
re, aperta dehinc peste, quæ paucos post dies subse-
cuta, interempti sunt. Sin uero & nobis nunquam
uisa fuisset, medici non essemus appellitandi, ut Ga= Galenus.
Ienius sexto terapentices capite primo, si de non tra-
ctatis tractare, atq; rationabiliter ope-
rari nesciremus.

CQuibus corpora ab hac labo
custodienda. C A P. IIII.
Vm nil ad hominū sanitatē prospic, prolixā de
morbis atq; eorum cauiss edere cōmentaria,
neq; uerba, sed remedia curent, ut Celsus inquit, con-
ueniēs duximus, breuib; adnotare quibus pernicio-
salues arceri possit atq; depelli. Primum ne sana corri

D E S V D O R E

Aristoteles. ripiat corpora , cum sanitatis conseruatio, Aristot. de regmine Principum docente, inter medicinæ partes

Marsilius. potissima sit, diligētiacq; nostra, ut Marsilius Ficinus de longa uita, longam etiam uitam præstet, si que & obsunt et prosunt sana mente auscultamus. Ideoque

Galenus. ij. de tuenda sanitate, dixit. Qui liber est a necessitatibus, potest custodiri sanus, ut nō ægrotet, & senescat opportune. Quæ igitur obseruāda, paucis enumerabimus. Prīmū quidem Rasī ad Alman-

Rasī. forem, iij. assentientes, qui fugam tutissimum remedium narrat: cum multa in pestilenti loco offendere possint, non solum aeris corruptio, ac frequens hominum conuersatio, uerum quidem ardua imaginatio, ex tristibus funerum obiectis concepta. Quantam illa uim habeat in transmutatione naturalis temperaturæ, & quales habeat producere effectus, tam

Proclus. bonos q; malos, his constat qui Proclum, Piccatri-
Piccatrix cem, Marcum damascenum, aliosq; in naturali ma-
Marcus da gia peritos perlegerunt. Quare consultissimum vide-

mascenus. tur, q; h̄j quos nulla manendi cauissa detinet, ab infecto loco, ad salubrem se conferant. At quia fugendi facultas non omnibus conceditur, alia ratione corpora communire oportebit, ne exitiali putredini ob-

Galenus. noxia maneant: cum secundū Galenū primo de dif-
fe, febrium cap. iij. cauissē nō agāt nisi in paciente dif-
posito. Quæ autem corpora magis disposita, paulo
antea refert, cum inquit. Calida & humida corpora
facile putrēscunt. Quapropter subsequenter de cor-

poribus a pestilenti furore præseruādis, breuibus totius negocij energiam nobis exponit, cum iubet statim ab initio corpora humida exiccare, sicca conseruare: quæ uero excrementis redundant, expurgare: quæ aut̄ absoluenda, sequenti sermone docebimus.

De Aēris salubritate. C A P . IIII.

PA V L O antea putrentem aérem, huius morbi caussam intimauimus: qui cum a nullo uitari possit, eo q̄ elementum est nostrorum corporū atq; spirituum, ut Auicenna secunda fei, primi, con Auicenna. gruum uidetur, ut eius rationem primum expliceamus. Qui igitur loetifero hoc tempore tuta habitacula sequi non potest, is præcipue caueat, ne in crasso, aut nubiloſo aëre uerſetur: domū taliter aptet, q̄ nufq; meridianos atq; occiduos recipiat uentos. Habitaculum a terra sit eleuatum, non deſtrem, nō paſtudinosum, nec prope stagna aquarum, aut male oſlentes officinas, procul a cœmiterijs ubi mortuorum cadauera ſunt ſepulta. Ventis pateat, a ſeptemtrione & oriente ſpirantibus: ſit & montium & pratorum amoenitate circumfulſum Posteaq; maxime curādū, ut habitationis aura omni tempore ſit pura, odoremq; redoleat delicatissimum: quod commode fit, ſi ſolares radij nonnunq; habitaculū perlustrent. Ceteris uero temporibus, ignis accensus de lignis aridis, nō eo anno quo pestis irruit ſecatis, auram corrigit, atq; mundificat. Præſertim de Iunipero, Pino, Quercu, Lauro, Sauino, Rore marino, atq; Vitium ſarmētis.

D E S V D O R E

Consimiliter & redolentia pigmenta carbonibus in
ſcienda sunt, Styrax calamita, Laudanum, Gallia a-
lipta, Gariophili, Thus, et alia id genus. Quorum ui-
ces ſupplent eandem, quas uulgo Vſiletas nuncupa-
mus. Irroranda quoq; habitatio aqua rosacea, & fo-
lijs herbarum fragrantium ſternenda, Maiorana, Men-
ta, Roremarino, Basilicone, Meliſſa, & ſimilib. Quē =
Galenus admodum Galenus i libello de commoditate Tyri-
acæ ad cesarem, Hippocratem narrat feciſſe, cum in-
quit. Laudo mirabiliflum Hippocratem: quoniam
peſtilentiam illam que de Boemia ad Ellines perue-
nit, non alitet curauit, q; aérem alterans. iuſſerat em̄
per ciuitatem totam accendi ignem, non tamen ſim-
plicem, ſed ſerta, flores, ac pigmenta ſuperfundere, ut
purissimum inspirarēt aerem, ad liberationem eorū
permutatum. Sunt præterea lapilli quidam, quos an-
tiqi tradūt, ſua ui occulta auram caſtigare, omnēq;
putridum uaporem excludere. Quales ſunt Saphy-
rus, Hyacinthus, Smaraldus, Præſlius, Sardonix, &
Corallus: quibus m̄ fidere nō ſuademus, cū nō eam
quam olim teneant uirtutem.

Galenus.

N ¶ De uictus ratione. C A P . V .
Vnc de uictus ratione diſputabimus, quæ
rapaci illo tēpore accuratiuſ obſerāuda eſt.
Consistit autē omnis dieta, ut Galenus inquit apho-
p.i. commento. xix. in tribus, qualitate, quantitate, et
quando: hoc eſt, quid ſit comedendum, quantum,
& quo tempore. Proinde primum quanto ſuccincti.

A N G L I C O

us fieri potest, alimentorū qualitates percurremus.
 Generaliter omnia cibaria siccitati attineant, coctū
 facilia sint, bonumque succum generent, sint anno
 salubri collecta, quem nulla pestis defœdauit. Non
 decreueramus, sermonem de illis intantum protela-
 re, cum plures ante nos, ætate etiam nostra, Pestis-
 lentiae regimen satis docte prescripserint, Marsilius Marsilius.
 Ficinus, Ioannes Vuidman, Heinricus Stromerus, Vuidman.
 & multi alijs: at ne monstrosum, mancumque par-
 tum ederemus, singillatim omnia repetenda censui-
 mus, exordiendo a pane principalissimo hominis
 cibo. Sit ille de frumento bono, non nimis ueteri, Panis.
 siue uermibus exeso, necq; eo anno quo pestis exor-
 ta, abmesso: sit albus, non tamen omnino a furfure
 spoliatus: sit salitus, bene fermentatus, boniscq; lignis
 coctus: nō cū recēs clibanū exijt comedat, sed unius
 diei naturalis habeat ætatē. Azymus panis deuīte, q
 uiscosum p̄bet nutrimentū, ut Auerrois dicit. v. Col Auerrois.
 liget. Lagana etiā et oīa placētarꝝ obsonia uitāda sūt.

De carnibus. C A P . VI.

Expedito pane, de carnibus disscremus, quæ ab
 animalibns libere in montana pascua nutritis,
 elegantur. Vitentur quæ in stabulis ad saginandum
 detinentur, et quæ immunda atque coenosa appetunt
 loca. Adsciscantur bouinæ carnes. ij. uel. ij. añorum,
 Veruecis mediocris, nō nimium obesi, necq; macilēti.
 Vitulinis, agninis, hædinis carnis uti non licebit,
 nisi assatæ fuerint in ueru, acetocq; et aromatibus pfuse.

D E S V D O R E

Auium sylvestriū esus cōuenit, perdicū, fasianorū, ornicum, turdorū, merularum, alaudarū, et sturnorum. Gallinę quoq; iuuenes, & Capi esui cōueniūt, dūmodo corrupto aēre uitiati nō sint. Gallinis nāq; infestus est, quas plusq; semel īfestas uidimus peste. Anseres, aquaria uolatilia oīa, porcinæ carnes oīno dimittant. Ex sylvestri aūt uenatura, approbamus ceruū iuuenē, capreolū, leporem iuuenē & annuū. Cæterorū usum dissuademus. Domesticarū tamē bestiarū carnes, una cum Hali abate, theoricæ dist. reg. lib. v. cap. xxi. sylvestribus præferimus. Omniū animaliū exta īutilia pronunciamus. Salitā carnem, iuniperino ligno parū fumigatā, non interdicimus, si ea quæ Auicenna. ij. ca. cap. cvi. apte intentioni nostræ applicamus: frequentē tñ aut assiduū usum nō consulimus, propter alia incōueniētia, q; Galenus. ij. de affectis locis ca. vij. enūerat.

Rasis. **C A P . VII.** **O** De sumptis ab animalibus. Va a gallinis ī sano loco nutritis, recēs edita, optimū edulium prēstant, si dura, aut butyro, uel oleo frixa non sint. Lac, Caseus, & oīa ex lacte confecta inimica sunt: cū putredini facile pareant, citocq; ī uentre corrūpantur. Caprino tamē, aut acetoso liberius utendū lactiphagis, qui sine lacte uiuerē non posunt. Butyrū pro pulmētariorū condimēto non reprobamus: nec tñ eo crudo uescendū est, ut Rasis ad Almansorē. ij. habet.

C A P . VIII. **Isaac.** **P** De Piscibus. Isciū natura cū frigida atq; humida sit, ut Isaac in particularibus dietis testatur, facile contuen

dum, eorū nutrimentū, hoc tēpore parū cōpetere. Of
fendunt tñ minus squamosi, saxatiles, in fluētib. aquis
prensi, ubi bonis conditū aromatib. Marinos aut̄ pi-
sces, ex occidētali oceano in Germaniā aduectos, solis
allecibus dēptis, oīno refutamus: cū nil nisi putorē ge-
nerēt, tantū quidē, ut nundinas, siue emporia nōnun-
c̄j suo squalore inficiant, ubi cumulis repositi iacent.
Stulta autē superior Germania, pro uino fragrantissi-
mo, sordidissimos a Brabantinis strumulos capit.

De Fructibus. C A P. IX.

Fructus oēs, inquit Isaac in uniuersalib. dietis,
praui nutrimenti sunt, subitoq; in corruptionē
putredinis uertunt̄: eos igitur hoc in periculo prorsus
damnamus. Minus tamen illos qui uentrem leniunt,
ut Galenus inquit de subtiliante dieta, cap. x. Hi autē
sunt, Mora, Pruna, Cerasa & Ficus. Atq; appetitus
eisdem plurimum gaudet, nonnunq; concedimus u-
uas, poma redolentia, & cerasa pontica, quæ tamen
prius solis radijs perlustrata sint, aut prope focū ignis
paululum antequam comedantur, astiterint.

Isaac.

De Leguminibus. C A P. X.

Legumina medullæ inutiles, brodia tamen bo-
na. Ficinus brodium lentis extollit, cui & nos
condescendimus, cum mirū inmodum putidos a san-
guine pellat uapores. Auenatum admittendum est.
Rapas, napos, pastinacas et fungos interdicimus: con-
cedimus autem boraginem, buglosam, betam, spina-
chiam, intibum & petroselinum; necq; Allij, ac Ra-

D E S V D O M R E

phani usum, in hac peste uituperamus.

C De Condimentis ciborū. C A P. XI.

Q Vibus obsonia condienda enarrabimus. Omnia acetosa conueniunt, punica mala, arantia, limones, citri, acetū rosaceum, succus uitæ non maturæ Berberorū, acetosæ. Hæc omnia proderunt temperando calidorū cibariorū acutatē, ubi æstiuo tēpore procax irruerit Pestilitas. Frigida autē, atq; nimis humida fercula temperentur Gingibere, Galanga, Cinamō. Nuce muscata, Cardamō, maiori, Chariophilis, Mace, & Croco, Saluia item, Menta, Serpillo, Roremarino, & Maiorana. Cōmedamus piperis aliquot grana integra, iuribus, aut alijs esculentis adiecta. Hiberno tamē tempore horū usus frequentior sit q; æstate. Conferunt etiam cappares conditi, oliuæ conditæ, & alia id genus quæ opipararis conuiuñs solemus adiungere. Mellis autem, atque zuchari usus frequens non sit; necq; cibaria pinguis, aut unctuosa plurimum.

C De Potu. C A P. XII.

Q Vod uero ad Potūs attinerationem, concordi medicorum sententia, uino claro, albo, uel subrubeo, modicum pontico utendum erit: quod dilutius bibant adolescentes, meratus uero qui in altiori ætate consistunt. Quod si ob regionis naturam, aut anni inopiam accersiri non potest, clara bibatur Ceruisia, qualis illa quam Embecen, uocant.

¶ Quantū, & qñ comedendū. C A P. XIII.

COnsumata mētione de ciborꝝ qualitate, quantitatē comedendi restat interpretari. Desit igit̄ oīs nauseatiua satietas, uentrē grauās. cū, Aui Auicenna. cenna tertia prīmi, doc. ij. cap. viij. docēte, uehemēs repletio in qualibet dispositione sit pernecabilis, siue ex comestio, siue potu prouenerit. Obseruāda igit̄ mensura cibi & potus: neq; obsoniorꝝ multitudini p una refectione indulgendū. cum apud medicos non solū, uerūtiā apud alios quosq; prudētes, accurata crapula uitio def̄. Quod etiā sapiens indicat Solomon Eccī. Solomon: xxxvij. cū inquit, Noli esse audius in oī epulatione, & non te effundas super oēm escā: in multis em̄ escis erit infirmitas, & propter crapulā multi periēre. Acrioribus autē uerbis Galenus in lib. de uenae sectione, in Galenus. temperantiā, siue gulā increpat: ubi medicos adhortaztur, ne gulosis manū imponāt: eo q; nullo prorsus sint medicandi remedio. Nolumus tamē nimia fame, siue siti, ut premaris, sed quantum natura expetit, omnia cum moderamine tentes. Sat quoq; erit, bina diei naturalis refectio. Nisi abunde calidum habueris stoma chūm. Prandium etiā cœna sit parcus.

¶ De reliquis quæ ad sanitatis regimen

requiruntur. C A P. XIII.

SVnt præterea alia quæ corporis sanitatē habent conseruare, si debito modo administren̄. Exercitiū uidelicet, & quies, coitus, balneum, somnus & uigilia, repletio & innanitio, affectus itē animi: quæ cum

D E S I V I D O R A E

Motus
Exercitii

Coitus

Auicenna.

Balnea

a multis pertractata sint, compendiose percurremus.
Vitetur motus laboriosus, anhelitum grauans, multamq; inspirationem expostulans. Nec tamē ociose quis uiuat, sed iejuno uētre, alio prius purgata, corpus leni exercitio moueatur, aut spaciando, aut laborando, aut corpus calentibus pānis perfricando. Sed receis cibo assumpto nulla corporis sit fatigatio, sed animus solatiosis confabulationibus, cantu, ludo, iucunda lectione, aut alia re oblectationem pariēte, exerceatur. Sub exercitiū autē limitibus Venereus comprehenditur ludus, quem omnes medici execrabilē faciunt, detestantur, atq; insidiosissimum prædicant hostem: qui tamen multis præsidium confert, cū humida corpora exiccat, unde putredini maximo obstaculo est. Huius argumenti scrupulum soluit Aui-
ceña lib. iiij. fen. xx. cum post coitus quasdam adnotatas utilitates subiungit: ubi caliditas ē fortis, et spermatis excretio non debilitat, ex quo constat, concubitum noxiū non esse illis, quibus abstinentia dura, & quorum corpora calida, multisque repleta humoribus. Adhuc balnea sub exercitiū dominio detinentur, quorum usus cum plerisq; sit peculiaris, atq; intantum domesticus, ut uicturos uix se credāt, nisi hypocaustis, aut stuphis, in hebdomada ad minus semel corpora purāt. Is mos Germaniæ nostræ tantum inoleuit, ut nisi ita assueti prosequerent̄, gravissima inde pericula contraherent. Quapropter balneandi usus hisce loetalibus diebus prætereūdus nō

est, corpore tñ a fecibus purgato, et uentre uacuo, siue
ieiuno existente: nec tñ balnei mora prolix a sit. De a=
queis uero balneis nullum est quod, preter sulphureū
conueniat, præsertim ubi corpora exuberanti pituita
redundat. Somni regula obserueſt, ut nocturnus octo Somnus:
horas nō excedat. Vigilia aut diei inseruiat. Deinceps Vigilia.
danda opera, ut excrementa oīa per naturę uias exeāt,
& que in corpore retinenda retineantur. Quæ si natu
ra nequeat perficere, periti medici cōsilio impetrenē.
Ceterū contuēda corpora, ne perturbatiōes, tristitia, Affectus a=
ira, metus & nimia sollicitudo animum anxient: non ^{nimi.}
numerentur funera, nullacq; de morte fiat mentio, sed
hilaritate, cantu, musicis instrumentis, iucundis fabu
lis, speciosis puellis, tamen honestis, et lectionibus gra
tis mens ipsa coerceatur.

N ◉ De medicinis ab illa peste conser=
uantibus. C A P . X V .

Vnc medicinarꝝ opē imploremus, ut pestife
rū malū tutius euitare possimus. Volēs igit̄ hāc labē ef
fugere, corpus primū humorib. plenū, aut uenę sectio
ne, aut cōgruēti pharmaco expurget: uenę qdē seclioē
ubi sanguis qualitate, quātitateue aberrarit: pharma
co aut, si biliosus, aut pituitosus supcreuerit humor. Id
tñ ppter indiuīduorꝝ inēqualitatē, nostris lucubratio
nibus apte inferendū nō erit, medicorꝝ aut opa expetē
dum, mōstratis corporis cōpositiōe, excremētis, ætate
atq; regimine. Nec tñ parabolaniſ fidendū empiricis.

D E S T V D O R A E

Plinius. qui ut Plinius in q̄t. xxiiij. cap. i. uitā cuiq; pmittūt uies
 nenalē: &. xxix. cap. i. periculis nostris discunt, atq; p
 experimenta mortes agunt. Adhuc minus illis, etiam
 Vrinarij. si biretati & annulati sint, q̄ sola urina de hoīe iudicare
 præsumunt: cū nihil his diuinatoribus, unq; in mun-
 do pestilētius surrexerit, neq; ab orbe condito uisa fu-
 rit pestis, quę tot absorberit homiēs, quot illi lotiarij
 medici suis diuinationibus: ut antiquorę dogmatibus
 clarissime probabimus, cum hasce nequitias in lucem
 uentilabimus. Deieōto itaq; sanguine, aut pharmacis
 sumptis, multa ab antiquis & modernis tradunt, quae
 morbi illius perniciē opprimūt. Plinius li. xxij. ca. i.
 uinū in pestilentia magnā uim habere narrat: &. viij.
 dehinc capite, Lauri delphicæ folia trita, olfacta q; , pe-
 stilentiæ contagia prohibere. xxiiij. libro. xv i. capite.
 Dracunculum, id est, Iari radicem, & Pseudobunion
 salutares insinuat. xxvi i. autem lib. cap. ix. exorcismo
 tradit olim pestem fascinatam, cum inquit. Negat A-
 pollo pestē posse crescere, quam nuda uirgo restin-
 guat. Sed hæc Plinianis simeis donamus, quae medi-
 cæ artis uires, nusq; nisi in Plinio abditas, arbitran-
 tur: cum tamen nihil pr̄ter fabulas doceat aniles. Cæ-
 teri uero medici ratione magis preclarí, multas & sim-
 plices, atque compositas tradiderunt medicinas. Sim-
 plices, lutum lemnium, lutum armenum, radices di-
 ptami, tormentillæ, sigilli Solomonis, morsus diabo-
 li, tunicis, gentianæ, pimpinellæ, arthanitæ, enule
 campanæ. Herbas aut, scabiosam, acetosam, farfaram

maiorem, rutam, multasq; alias, quas recensere nimis prolixum esset. De compositis autē, Tyriacam media cinarū dominā: quæ quantā aduersus hunc morbum uim habeat, Galenus noster in libello de Tyriaca ad Galenus. Cæsarē, magna cum laude depromit. Rabi Moses par Moses. ticula. xxi. de Tyriaca, talia loquit̄. Quidā medicus sa piens mihi retulit, q̄ cum Antiochiæ terram Pestilenz tia corripuerit, oēs medicinæ præter Tyriacam debitis inuētæ sunt, quæ sola a morbo captos liberauit, sa nos custodiuit: qui uero eam spreuere, obijsse, Rufus Pillulas tradidit, quar̄ actio tantā a multis annis me ruit laudē, ut uulgato nomine, ubiq; terraꝝ, Pestilenz tiales, nomē sortitæ sint. Sed de his sat erit, nam in nisi mis longū ex crescere fermo, si tam uaria huic exiguo ingereremus libello. At unū experientia edoc̄ti, de nobis polliceri nō erubescimus, unumquēq; Deo opt. maximoq; fauēte, a lœtiferis minis posse tueri, qui nostris uteſ ſed ſortijs: quæ tamē hac paginola propalare nolumus. cū haud mediocri uigilia, difficultibusq; cu ris, ea nacti ſimus: ſed quæ parata tenemus, perq; lu benter omniū postulantū obsequia adibunt. cū Luc. xvi. uerus Imperator noster iubeat, proximū non minus q; nos ipſos diligere. His tñ qui noſtra nō poſſunt attingere remedia, aut quibus facultas non ſuppetit, ut illis potiantur, aliā uiam indicabimus, cuius tutam i ne haud parū gaudebunt. Tyriacam bonā comparēt, non tñ eam quā circulatores in foro Alexandrinā pro clamāt, ſed eā quę ab honestis uendit̄ pharmacopolis.

D E S V D O R E

Huius tertia semper die, auelanæ quātitas cū uino bo
no, mane añ exitū a domo capiat, & absq; pastu sum=ens per duas horas se detineat. Diebus aut̄ itermedijs electuarij utendū, quod Liberans inscribit, mane qui dem eo, ut de Tyriaca instituimus eanone. Pillulæ itē Rufi, siue Pestilentiales nōnunq; ante coenā transgluztiantur numero tres, uel quinq;. Qui uero magis oblectant, ut ea ex qbus medicamēta cōficiant, pernoscat, his haud ignobile describemus remediū, quod & pau

Plinius. peribus atq; diuitib. leui precio impetrandū. Id a Plinio secūdo, lib. iij. ca. lv. in hunc inscribit modū. Accipit penuces siccas duas, ficus duas, Rutæ folia uiginti, Salis granū unum, oīa simul trita, mane ieiuno uentre comedant. Nolumus medicarē cumulo stomachū tuū obturbare, paucis tñ selectis, rogamus acqescere uelis.

¶ Curationis modus, cum morbus iam

inuasit. C A P. XVI.

AT uero cum propter salutis incuriam, aut infe licem fortunæ euentū, qui rerum penuria pau peribus præseruationē abscondit, uix cōtingit onines hunc morbū posse effugere, necēssum, ut & male habitis manū porrigamus, qua mortiferā hanc foueam ualeant exilire. Vidimus inferioris Germaniæ curas a medicis profecto perdocte præscriptas, arbitrio tam nostro nimis arduas, tam strennuasq;, ut q; plus res eisdem coniectemur expirasse, qui alias morbi maleficio uitam mīme finiissent. Quod auctoř sentētij facile probabimus, si cui uideſ nos in alieno foro con-

tendere. Sed hęc missa faciamus, rem quę dilatione nō
eget, aggrediētes. Periculosa hactē pestate, cum q̄s gra
uatū se senserit, anhelitusq; spissior solito factus, accen
sa febre, uel æstu, uel frigore, cui penetrās adheserit su
dor, mox hac labe se credat infectum. Cōfestim perin
de sine mora lectū acceleret, nō tñ de mollioribus plu
mis cōsertū: qui duplis, aut triplis consternatur linthe
aminibus: dehinc uestibus exutus, quod contra alios
est, ad lectum sereponat, ac rursum pluribus linthea= =
minibus obtegatur, ita q̄ præter caput nullum mem= =
brū pmineat. His oībus lanea adiūcia stragula, aut ue
stis, tot q̄t satis fuerit, pelliceis atq; plumaceis tegumeni
tis, pcul remotis. Aegro in hūc modū locato, cubicu
lo optime obstruso, ne aér penetret, igne atq; suffiti= =
bus incēsis, ut supra admonuimus, æger mox nostrū
bibat pharmacū, qd ita ex pharmatheca petēdū. Acci
pe tyriacę andromaci drach. . . radicis ciclaminis scru
pulū unū, aquę scabiosę unc. iij. sublimati uini unc. i.
. . redactis illis in potum eger bibat, et solerti amicor
uigilia, pane assato, aceto & similibus custodiatur, ne
assumptū uomitu deūciat. Sin aut in rure correptus,
sola Tyriaca, uinū & aqua simul mixtis potata suffici= =
et. Quod licet bīnis sit fulcitū medicinę instrumentis,
ratione, et experimēto, plures tñ aduersum nos insur
gent medici, opus nostrum prorsus dilapidantes: pro
pterea, q̄ natura cum morbo prēlium inierit, a medi
cis crīsim uocatum, qua pugnante nullum exhibendū
sitremediū, Auicenna teste quarto cap. feni, iij. tracta, iij. Auicenna.]

DE DIS VENDORE


cap. x. Quibus autoris sententia respondemus, allega
to loco, tract. i. cap. i. In principio morbi nunq̄ sit nisi
perniciosa crisis, cum morbus sit periculosus, atq; peſ
ſimus. Id etiā affirmant Rasis in continent. ij. parte,
Rasis.
Auenzoar. cap. xxxij. & ſenex noster Auenzoar, tract. iiij. cap. i.,
modo cum in periculis morbis opus sit frangere le-
ges, necq; naturae opatio expectanda, quā certū eſt uin-
ci, niſi medicinæ adminiculo ſubleueſt. Et hæc eſt do-
ctrina Galeni a pho. particula. i. cōment. xx. &. xxij.
cum inq̄t. Quasi natura imbecillius agat, id quod defi-
cit, oportet ſupplere, ut criſim faciat perfectā cum utro-
q; id eſt, ſeipſa, atq; medicamine iuuāte. Nec tñ diuer-
ſi motus concitandi ſunt. ut ſi natura ad exteriora uelit
materiam expellere, medicus econtra. Quod cū ita ſe
habeat, omnē iubemus impendere operam, ut ægro-
tans ad. vi. horar; ſpaciu; affidue ſudet. Vtrisq; lateri-
bus ſuis et inguinibus uascula q̄nea ſtrictis orificijs ap-
placentur: in quibus herbæ uino fortissimo bullitæ ad
huc feruide collocentur: ægroto pañis obtuto, ne fer-
uore offendat. Herbe ſint Pimpinella, Hypericō, Vi-
cetoxicum, & Valeriana. Custodes adhibeant uigilā-
tissimi, nō tñ cucullati Fratres, ſiue peruersi, q̄ omnē
ſpem, omne gaudiū, omnēq; queſtū in ſepeliendis ho-
minibus collocarūt, ſed ſimpliſibus atq; pauperculis
fidendum, qui hoīm uita uberius q; morte, emolimē-
tū conſequi ſperant. Officiū custodū tale ſit. Detineat
lecti cooperimenta fortiter occlusa, ne aer ingredi poſ-
ſit; ſomnum ægroto non admittant, quo periculosius


A N G L I C O.


nihil est, excitent igitur eum cantu, clamore, locutiōe,
& strepitū: quæ si nihil cōtulerint, barba, pilisq; tra= hant, cōmoueant, atq; inquietum reddant. Plurimū tamen proderit, s̄epius tempora, nare sc̄p aceto irrorare, in quo modicū salis nitri fuerit dissolutū. Per actis itaq; sex horis, æger a sudore pannis optime mū dificetur, alijsq; calentibus lintheam inibus inuoluat, & ab aére diligentissime custodiatur, neq; tamē ad su dandum tam fortiter cōerceatur. Interea autem, ne deficit æger, interdum bibendum illi tribuatur uinum subrubeum, aut album ponticum, aqua cocta dilutū: cui si saphyri lapidem imposueris, nobilem effectum consequeris. Nec tamē consulimus, ut cordiales ei medicinas adhibeas: cum uerendum, q; earum uirtute uenenositatem ad cordis capsulam ducant. Nihil co medat æger anteç; duodecim horæ sint delapsæ. Per triduum quoq; a carnium esu abstineat. Vescatur a uenato pulmentario, aut amigdalino lacte, aut iusculo de albumine oui, cum modico aceti. Se quoq; ita con tineat, quo usq; pristinam recuperarit sanitatem. Ad epta autem rursus sanitatem, prudentis medici consilio, supfluos humores expurgat: ne charybdi liberatus in deteriorem incidat scyllam, futuram paucis parciturā Pestilentiam, cuius Anglicus ille Sudor certus præ cursor existit. Deus autē misericors, dignetur sua gra tia, animarū pestem auertere, cui soli laus et gloria in æuum, A M E N.


Однако же не в силах были остановить его. И в
самом деле, подавляющее большинство избирателей
записало на своих бюллетенях имя Бориса Ельцина.
Несмотря на то что в ходе предвыборной кампании
Борис Ельцин неоднократно выступал за то, чтобы
изменить конституцию, чтобы внести в нее поправки
о том, что президент может быть переизбран на
две срока, а не одна, и что он не может быть избран
на третий срок, но в ходе предвыборной кампании
он неоднократно говорил о том, что он не будет
искать переизбрания на третий срок, и что он не
будет бороться за то, чтобы изменить конституцию.
Итак, Борис Ельцин был избран на третий срок
президента Российской Федерации. И это было
очень хорошо, потому что это было очень хорошо.
А что же произошло дальше? А произошло то, что
Борис Ельцин, будучи избран на третий срок,
не стал бороться за то, чтобы изменить конституцию.
И это было очень хорошо, потому что это было очень хорошо.
А что же произошло дальше? А произошло то, что
Борис Ельцин, будучи избран на третий срок,
не стал бороться за то, чтобы изменить конституцию.
И это было очень хорошо, потому что это было очень хорошо.


И в итоге














DE SUDORE ANGLICO. J. NIDEPONTANUS. 1529





